B. o
229

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837193-p0001-4

Bb. o. 229.

Q. HORATII FLACCI
LIBRI PRIMI CARMEN QVARTVM
ADNOTATIONE PERPETVA
ET
OBSERVATIONIBVS CRITICIS
INSTRVCTVM

EDENDORVM EIVSDEM OPERVM
SPECIMINIS LOCO

PROPOSVIT

CHRIST. GVIL. MITSCHERLICH
PROFESSOR GOTTINGENSIS.

LIPSIAE, 1792.
SVMTIBVS SIEGFRIED LEBRECHT CRVSII.

Lehrerbibliothek
Ver. Dom.-u. Klostergymnasium

PRAEFATIO.

Quum Cruſius, vir honeſtiſſimus, de recognoſcenda, quam b. Jani inchoaſſet, eademque ad umbilicum perducenda Horatii editione ſuum ad me detuliſſet conſilium, meque, ut exſequendo iſti operam atque ſtudium meum accommodarem, humaniter rogatum facile permoviſſet: eruditorum hominum votis ſatis jam proſpectum videri poterat, ſi addendo, ſupplendo, corrigendo atque reſecando operam meam contineri voluiſſem, omninoque novam poetae editionem iſti, tanquam fundamento rite jacto, ſuperſtruxiſſem. Quodſi enim juſtum cujusque rei pretium ſtatuere, neque in rimandis exagitandisque, quae humana fudit incuria, vitiis male ſeduli nimisque ſeveri, atque ipſa bona deprimendo atque extenuando malevoli videri velimus: habet ſane Jani editio, ſi in univerſum de ea judicium feras, laudem ſuam, ſuasque ad poetae artem, doctrinam orationisque virtutes penitius intelligendas, animumque inde ad ſenſum pulchritudinis fingendum dotes haud exiguas. Erat enim in eo viro doctrina minime vulgaris, et judicium, aſſidua poetarum lectione ſubactum, quod adeo vera a falſis facile diſcerneret. Quod quidem feliciter ceſſit Horatio, adeo quidem, ut, dum ille in excutiendis excerpendisque interpretum commentariis ſemper optima quaeque in uſum ſuum ſe-

ligeret, quamque ipse novam subinde subjeciſſet interpretationem, ea haud raro veritatis ſpeciem haberet, his omnibus poetae lectio multis in locis expeditior facta ſit. In exponenda porro argumenti ſumma, indagandoque abſtruſiori ſubinde ac plane lyrico ſententiarum nexu feliciſſimam poſuit operam, ita, ut ſuperiorum interpretum in hoc genere conatus eum longe ſuperaſſe, veriſſime dici poſſit.

In tam inſigni igitur, quibus Vir ille poetam inſtruxiſſet, bonarum rerum copia, levem admodum, qua poetae lectio amplius juvaretur, operam ſupereſſe ratus, alacri ad praeſtandum id, quod deſiderari poſſe videbatur, acceſſi animo. Quum vero eo conſilio ipſi poetae manum admoviſſem, et per aliquot carmina operam meam deduxiſſem: tum demum intellexi, quantum haec ipſa res, quam facillimam mihi perſuaſiſſem, difficultatis atque moleſtiae ſecum ferret, quibusque laqueis me ipſe vivus vidensque irretiiſſem. Dum enim ſtudium meum, quod ad poetam ſolum, ſi arbitrii mei res fuiſſet, majore cum fructu direxiſſem, etiam interpreti impendendum erat, atque inutiles ramos amputando, ſelicioresque inſerendo, vel, quae parum probabili ratione tradita eſſent, probabilioribus ſubſtitutis emendando animus ſimul occupandus erat: fieri ſane non potuit, quin ſenſim ad alias, in quas aliter vix incidiſſem, explicationes traducerer, interdum aliorum contra occupatus opinionibus haud raro impedirer, quo minus verum amplius diſpicerem, vel, ubi lector non ſatis exercitatus ſuppetias ab interprete ſibi paratas ſperaſſet, eas, obtuſa jam mentis acie, plane omitterem, ubi vero non admodum laborandum fuiſſet, cum tamen alios,

inprimis

inprimis Jani, copiosum vidissem, et ipse copiosior fierem, largasque nimis dapes adponerem. Eam insuper partem, quae in constituendo poetae, quem vocant, contextu consumitur, quum in hac b. Jani interdum justo breviorem, interdum a vero aberrantem, copiis vero criticis omnino destitutum, deprehendissem, prorsus retractandam esse, facile sentiebam.

Aliae igitur rationes subducendae erant, quibus animum, in partes varias distractum, et a poeta fere abductum revocarem ac colligerem, ejusque vigorem paene sufflaminatum resocillarem, poetaeque omnino magis consulerem. Oportebat adeo

retrorsum
Vela dare atque iterare cursus,

ut adsequerer id, cujus imago dudum animo infixa haeserat, et ad quam exprimendam nunc omnes meas cogitationes convertebam.

Etenim, quamquam is, qui poetae alicujus verba ac sensum commode atque perspicue explicat, boni omnino interpretis partes sustinuisse videri debet; in Horatio tamen majorem campum, in quo sese exerceat, apertum sibi existimare debet, cumque Horatius is sit, per quem romanae poeseos majestas steterit, qui linguam suam, Ennii, Lucretii aliorumque conatibus tantum exasciatam, felicissimi ingenii lima perpoliverit, eamque ad graecae poeseos genium inflectendo atque informando novis ac exquisitis sermonis poetici augmentis locupletaverit, adeo, ut tota Romanorum poesis novam inde eamque laetam ac satis liberalem induerit faciem, quam quidem, tanquam

exemplar consummatissimum seriores, qui aliquid sibi videri vellent, poetae sibi proponerent contemplandam, exprimendamque unice allaborarent, majus ei opus movendum, qui omnes Horatianae poeseos virtutes cognoscere, cognitasque atque curate perspectas aliis velit tradere, ita, ut Horatii lectio perspicua existat atque jucunda.

Atque omnium quidem primam ei, qui Horatium recte interpretari velit, virtutem inesse oportere hanc arbitror, ut ingenium afferat graecorum latinorumque poetarum lectione tritum atque perpolitum, quod ipsum, phantasmatum sublimium capax, poetam, in altos nubium tractus tendentem, nisu haud impari sequi audeat, utque adeo ipsi sit

mens divinior, atque os
Magna sonaturum.

Non igitur, ubi magnarum rerum ab poeta objectis ideis incendi atque axaestuare debet, cum misello Baxtero *frigus captabit opacum;* aut ubi inter deos res agi, deorumque consortio poetam frui, eos videre, alloqui videbit, hujus rei fidem eodem auctore Judaeo Apellae, qui hoc credat, transmittet: sed eodem contactus afflatusque spiritu eundem spiritum commotionisque animi sensum et in aliis excitare conabitur. Et quum tria potissimum interpres Horatianus in quovis carmine spectare debeat, inventionem, tractationem, atque elocutionem; primam impositam sibi censebit curam in exponendo carminis argumento, dispicietque, num primae carminis ab ipso ductae sint lineae, an praecipua inventi laus graeco alicui poetae deferenda sit, et, si graecum exemplar ante oculos habuerit, num id,

quod

quod imitandum sibi proposuerat, assecutus sit, vel ornatiore orationis habitu, aut subtiliori tractationis artificio superarit, an omnino inferior discesserit, dijudicabit. Mox rei pertractatae rationem, expositionisque virtutes accurate exponet, et in expediendo sententiarum nexu docebit, quae ejus ratio pedestris sit, quaeque poetica. Tum ad ipsam carminis interpretationem delatus, sermonis poetici naturam atque indolem, doctrinam, ornatum, pulchritudinem, causasque declarabit, eumque ad vulgarem loquendi formam revocando orationis amplificatae atque exornatae semina atque origines indagabit. Quo in genere ut rectum de poetae virtute judicium ferri possit, sedulo inquiret, quid ipsius fecundum extuderit ingenium, quidve ab aliis acceperit, acceptumque quibus ornamentorum involucris incluserit. Adponenda adeo, si supersunt graecorum *) poetarum, quorum flores apis Matinae more modo-

 que

*) In his primo loco comparanda sunt fragmenta Lyricorum, quae utinam *omnia* uno libello congesta, numerisque suis probabiliter restituta atque illustrata teneremus! Sic, ut hic unico exemplo defungar, Bacchylidis fragmentum.

Τὴν ἀχείμαντόν τε Μέμφιν καὶ δονακώδεα Νεῖλον

quod servavit Athenaeus L. I, c. XVII. p. 20. frustra in Analectis Brunkii quaeras. Quem si Jani deprehendisset locum, non tantum pulveris excitasset in Horatii L. III, 26. 10.

Memphin carentem Sithonia nive,

inde expresso; neque eo devenisset, ut barbarum, Graecisque inauditum, quod Horatium expressisse contenderet, Μέμφιν ἄνιφον s. ἀνιφῆ excogitaret vocabulum. Tum excutienda atque cum Horatio comparanda sunt, quae in Brunkii Analectis habentur, carmina graeca minora. Quorum in nonnullis, quae ipsa Horatii aetate recentiora sunt, quum maxima cum Nostro sententiarum vel orationis deprehendatur similitudo, verisimile videtur, carmen graecum ex ipso Horatio fluxisse, vel, quae sagacior est Heynii suspicio, utrumque et auctorem graeci carminis, et Horatium, ex uno eodemque antiquiore poeta graeco, nunc deperdito, sua hausisse.

que legisse, et ad quos totum se composuisse constat, ea loca, quorum vel sententias expresserit, vel unde prima ornatioris dictionis stamina deduxerit, omninoque junctu-ram, flexionem, collocationem verborum graecam diligenter notabit. Neque vero in his subsistet ejus opera, sed et eos, quoscunque Latium ipsi suppeditarit, excutiet poeticos loculos, et quid inde in usus suos depromserit, depromtumque qua arte excoluerit, suumque prorsus fecerit, investigabit atque dijudicabit. Neque leve interpretationis ex eorum, quos sua vidit, quosque serior aetas protulit, poetarum carminibus petet subsidium, enotandisque, quae ab Horatio mutuata videntur, locis, ipsi haud parum lucis adfundet, quo ipso non dubitandum est, quin liberalioris ingenii hominibus multum delectationis allaturus sit. Neque tamen laborem suum extendi, ac paene dicam, effundi patietur in hoc, ut sententiarum vulgarium, locorumque communium inde struem coacervet, iisque poetam obruat; sed in his cum judicio versabitur, eaque tantum ex iis adponet, quae eodem orationis colore delineata ex Horatio ducta videri possint.

Praeterea, cum Horatii lectione juvenilis aetas inprimis teneri soleat, interpres non tantum in difficilioribus poetae locis, aut ubi forte doctam aliquam et exquisitiorem observationem, quam in penu habet, depromendi, aut severam in alios stricturam exercendi occasionem sibi datam putet, ambitiose morabitur, sed adolescentum utilitati, quam semper in oculis ferre debet, multo magis consulet, si continua adnotatione poetae lectionem juvet, partium inter se junctarum artem atque consensum, phantasmatum vim

vim ac rationem, elocutionisque virtutes, plano ordine retextas, perspicuis verbis, substitutisque ubique clarioribus ideis illustret; unde erectioris indolis juvenis ingenium ad humanitatis sensum fingere, ac poeticarum notionum, quas et ad alios poetas intelligendos cum fructu transferat, copiam sibi parare, omninoque veram interpretandi artem addiscere possit.

Inter haec omnia subtilitatem adhibebit criticam, deque sententiarum veritate, quaeve sub veri tantum specie adblandiantur, fucatoque colore mentem teneant, quid recte, vel secus, quid ambigue poeta eloquutus sit, ubi in medio volatu defectus viribus lassatisque alis magnis ausis exciderit, diligenter monebit; cavebit tamen, ne sensu hoc, ut ita dicam, critico minuatur atque obrigescat sensus poeticus.

Atque haec fere sunt, quae in Horatio, novis curis perpoliendo, inprimis spectari oportere, quaeque adeo in nova, quam cum maxime urgeo, hujus poetae editione, assequenda putaverim. Quoque rectius viri docti de meo hoc Horatium interpretandi statuere possint consilio, speciminis loco libri I. carmen IV. quod ipsa anni tempestate monente in hanc rem selegi, adnotatione perpetua observationibusque criticis instructum subjiciendum curavi. In quo eam partem, quae de lectionis veritate agit, Heynii auctoritatem secutus, post ipsum carmen rejeci, quod et justum ei sub textum collocandae spatium defuturum facile praeviderem, et res ipsa paullo prolixiorem interdum disquisitionem requireret. Quem ordinem et in ipsa poetae editione servabo, in fine cujusvis voluminis observationes criticas reponendo. Quae vero statim in earum limine de hujus carminis metro

monenda duxerim, eam critices particulam e diatribe de metris, Horatii editioni praefigenda, operas huc transscribi jussi.

Lubuit denique carminis hujus, quod graecas fere notiones contineret, graece vertendi periculum facere; quod etsi chartae huic (nam cur huic, perituae, parcerem, causam non videbam) adleverim, ab ipsa tamen editione, ut et alii intelligant, quodnam ei ipse pretium statuam, aliosque ejusmodi conatus abesse jubebo.

Caeterum viros doctos summopere rogatos volo, ut me, magnum iter ingressum, consiliis suis sublevent, et quas seu ad accuratiorem poetae intelligentiam, seu ad contextum probabilius constituendum paratas habent copias, mihi impertire ne dedignentur. Quo in genere propensum jam quorundam expertus sum animum, de quibus cum gratissimi animi testificatione suo loco referam. Scripsi in Georgia Augusta, sub adventum veris, anni 1792.

Q. HO-

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM L. I. C. IV.

ARGUMENTUM.

Carmen hoc ex eorum est genere, quae descriptione expedita lectorem facile capiunt, eumque suavitate imaginum, ac sententiarum, quae sponte se obtulisse videntur, veritate morantur atque deliniunt. Est illud ad L. Sextium, qui in Bruti partibus fuerat, illius quaestor, et perpetuus comes, mox etiam, cum, Romam reversus, in Augusti amicitiam receptus esset, constans illius cultor atque laudator; quam amicitiae observantiam ac fidem ita ei honori duxit Augustus, ut, cum a. V. 731. consulatu se abdicasset, eum in locum suum sufficeret. v. Appian. Civ. IV. p. 619. Dio LIII. p. 518. Hinc in titulo carminis multi Codd. vocant Consulem et Consularem; sed utrum in illo Sextii consulatu, sive postea hoc carmen scriptum sit, incertum est. Neque magis exploratum habetur de cognomine, quod ei complures tribuunt, Quirini. Id constat, fuisse hominem nobilem ac divitem, Horatio inde a Brutianis temporibus conjunctissimum. Falsum esse praenomen Publii, a nonnullis ei datum, docet Fulv. Ursin. Famil. Rom. p. 244. v. Fabric. ad Dion. l. l. Iam ad ipsum carmen veniamus. — Ab ortu veris, cujus descriptio ad italicae regionis naturam atque ingenium praeclare attemperata est, progressus, ejusque suavitate atque laetitia, qua totam naturam perfudit, perfusus ipse atque exhilaratus poeta eosdem animi sensus in amicum

amicum suum transfundere conatur, eumque ad fruendas, quas vernum tempus secum ferat, delicias atque jucunditates, sedulo hortatur. Hinc naturali sententiarum ordine ad commune de vitae voluptatibus sectandis praeceptum deducitur, rationibus ab ipsius vitae brevitate, omnibusque proposita moriendi conditione, et quod post mortem nihil, quod gratum ac jucundum sit, amplius sperare liceat, desumtis. In argumento tam simplici a tractatione atque elocutione poetae inprimis laus quaerenda erat, eamque summam, unanimi Intpp. consensu suam hoc carmine fecit Horatius. Adeo polita atque elaborata sunt omnia, sive descriptionem veris regioni, qua vivebat, accommodatam, sive gravem ac vere lyricam sententiarum spectes elocutionem. Metrum quoque carminis argumento egregie convenit. Quo nomine inprimis mirari soleo v. 7 et 8. — Graecas notiones in eo plures deprehendas; unde graecum Horatio ante oculos fuisse exemplum non inepte conjicias. Ducunt eo, praeter exitum carminis, inprimis v. 7 et 8. qui forte a Siculo aliquo poeta, qui Aetnae aestuantis imaginem in veris descriptione memorasset, mutuati videntur. Fac vero haberi haec in exploratissimis; tanto majori laudi ducendum Horatio puto ipsum hoc, quod graecas ideas, romanis intextis, tam miro artificio suas fecerit. Quam vana vero, atque a poeta lyrico aliena Sanadoni et Dacerii sit opinio, Horatium ad fastos romanos, qui initium veris d. V. Id. Febr. postridie Faunalia, et mox (a. d. XII. Cal. Mart.) Feralia haberent, studium suum in pangendo hoc carmine direxisse existimantium, facile intelligitur. Ceterum idem argumentum tractavit Horatius L. IV, 7. adde I, 7. et 9. II, 11 et 14.

CAR-

CARMEN IV.

AD L. SEXTIVM.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas.

Ac

v. 1. Solvi, laxari proprie dicitur gelu, glacies; item humus, per hiemem frigore adstricta, ut mox v. 10. *terrae solutae*, vbi v. not. Docte hic ipsa *hiems solvitur*, quae resolvitur, remittit se. Tibull. III, 5. 4. *quum se purpureo vere remittit hiems.* ubi apte laudant Lucan. I. 17. *bruma rigens, ac nescia vere remitti.* adde Stat. Theb. IV, 1. *horrentem zephyris laxaverat annum Phoebus, horrentem annum* h. hiemem. — *Acris*, e natura frigoris, ut *acutum gelu*, I, 9. 3. Jam sequi debebat: *vere*, pro quo exquisitius est *vice grata*, successione *grati veris, et Favonii*, Zephyri, qui omnino in terris australibus gratior est. *Veris comes* vocatur IV, 12. 1. Plin. H. N. II, 47. *Ver aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt coelum.*

v. 2. Vulgare erat: naves machinarum ope in mare trahuntur, deducuntur. Sed tribuit hanc deductionem poeta ipsis, quarum ope fiebat, machinis, quae est exquisitior ac doctior ratio. *Trahunt* adeo, promovent, devolvunt *machinae*, h. l. φάλαγγες, cylindri subjecti; nam machina proprie de instrumento dicitur, quo aliquid loco suo movetur. *carinas*, naves *siccas*, quae per hiemem in sicco steterant, in litus subductae, et trabibus constratis s. pulvino impositae. Graecis ἑρύειν, et ἕλκειν, καθέλκειν, uti Latinis *subducere* et *trahere* verba sollennia hac de re. Accius apud Non. v. *anima* p. 112. a. *classes trahere in mare, et vela ventorum animae immittere*, laudante Lambin. Utrumque fiebat vectibus, seu cylindris, navi ita suppositis, ut, si in mare deducenda esset, tenuior crassiorem exciperet, contra, si in litus subducenda, crassior tenuiorem sequeretur. Loca classica hac de re apud Apollon. Rh. I, 371. et Orph. Argon. 237. cf. Pollux. Onom. VII, 190. Gronov. ad Plaut. Cas. III. 2. 27. et Morum V. Cel. ad Caes. B. C. II, 10. Ceterum

Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna:
Jun-

terum ſolennis fere, in deſcriptione veris, maris, per hiemem procelloſi, nunc pacati, navigationisque adeo inſtauratae apud poetas mentio. v. Anacr. XXXVII, 3. Meleag. in Ver, v. 9 et 21. Antipat. Sid. c. XXXVII. (Anal. Brunk. T. II. p. 16.) et, qui propius ad hunc locum ſpectat, Silentiarius c. XVII. (Anal. Br. III, 89.) cujus initium ideo huc transferam: Ἤδη μὲν ζεφύροισι μεμυκότα κῶλπον ἀνοίγει ἄκαρος εὐλείμων θελξινόοιο χάριες· ἄρτι δὲ δουρατέοισιν ἐπωλίσθησε κυλίνδροις ὁλκὰς ἀπ' ἠόνων ἐς βυθὸν ἑλκομένη. adde IV, 12. init.

v. 3. ſq. Suavis rei imago: pecus jam paſcua repetit, agriculturam arator. Proſaicum erat: neque jam aut ſtab. gaud. pec. aut a. i. nec pr. Prius *aut* omiſſum, more Horatiano. v. I, 3. 16. I, 6. 19. *Pecus non gaudet ſtab.* laſtidit jam ſtabula, quibus per longam hiemem incluſum fuerat, geſtit ea relinquere. *aut arator*, agricola, *igni*, foco, ad quem hiemale tempus egerat.

v. 4. *Prata albicant*, albent, tecta ſunt *pruinis*. *Canis*, πολιοῖς, ornat, ut Ovid. Her. V, 16. Claudian. de R. P. III. 232. *cum rore ſerenus albet ager*. Hinc ipſa hiems Muſaeo v. 293. χεῖμα παχνῆεν dicta.

v. 5. Cum antea hominum ſtudia, vere redeunte excitata atque inſtaurata, memoraſſet, jam ipſam veris amoenitatem, ejusque delicias ſuaviſſima imagine per Veneris choreas, cum Gratiis ac Nymphis ad lunam agitatas, declarat. Nimirum cum antiquiores homines mores vitaeque inſtituta ad deorum vitam transferrent, (v. Heyn. ad Virg. Aen. I, 499. Exc. XX.) ratio in promtu eſt, cur et choreas in deorum coetum induxerint. Jam cum in ſaltatione corporis concinnitas membrorumque decor inprimis ſpectetur; ea fere numina, quibus perpetua juventa aut inſignis adtributa eſſet pulchritudo, choris admoverunt. Potiora fere comprehendit ſplendidiſſimus Homeri locus H. in Apoll. v. 194. ſeqq. αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐύφρονες Ὧραι, Ἁρμονίη θ' Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη ὀρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι. et fragm. Callimachi (in Bentlej. CXVI.)

Junctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno

CXVI.) Ἔνεστ' Ἀπόλλων τῷ χορῷ, τῆς λύρης ἀκούων· καὶ τῶν Ἐρώτων ἡσθήμην, ἔστιν Ἀφροδίτα. Occurrunt adeo Apollo, Bacchus, Diana, Venus, Amores, inprimis Gratiae (Pind. Ol. ιδ. 10. οὔτε γὰρ θεοὶ σεμνῶν Χαρίτων ἄτερ κοιρανέοντι χορούς) et Nymphae saltantes. v. Hom. H. in Pan. 19. Hesiod. Scut. H. 201. seqq. Theocr. XIII, 43. Apollon. Rh. I, 1222. Coluth. R. H. v. 5. Propert. I, 20. 46. Deos vero in solitudine errare, noctuque terras obire, (μακάρων τοι νύκτες ἔασιν juxta Hesiod. ἐργ. 730. adde ejusdem Theog. v. 10. Stat. Silv. I, 1. 95. *sub nocte silenti, cum superis terrena placent*, unde nox ipsa poetis sacra) inprimis vero Venerem sub veris adventum terram invisere, (Lucret. V, 736. *It Ver, et Venus, et Veneris praenuntius ante pinnatus graditur Zephyrus vestigia propter*) et cuncta vi sua procreatrici implere (Pervig. Ven. v. 63 - 67. e rec. Cel. Wernsdorf. in Poett. min. T. III, p. 477.) cum veterum sibi persuasum haberet religio; docte hanc opinionem in rem suam vertit Horatius, suavissimoque hoc phantasmate egregie exornavit, ac nobilitavit. Easdem deas simili in argumento, Nostrum forte secutus, conjunxit Auctor Pervig. Ven. v. 50. 53. seqq. Nec inferiore suavitate in declaranda veris hilaritate Bacchi choreas induxisse censendus est Meleag. c. II. (ed. Cl. Manso.) Καὶ γαῦται πλώουσι, Διώνυσος δὲ χορεύει. Jam Anacr. V, 9. ῥόδα παῖς ὁ τῆς Κυθήρης στέφεται καλοῖς ἰούλοις Χαρίτεσσι συγχορεύων. — *Venus Cytherea* Ἀφροδίτη Κυθήρεια v. Obss. *choros ducit*, ἡγεῖται, ἐξάρχει χορούς, tanquam χορηγὸς, ut de Diana Hom. H. in eandem v. 17. 18. et inde Virg. Aen. I. 499. *exercet Diana choros. — imminente Luna*, desuper lucente, adeoque nocte serena. Eadem imago chori nocturni apud Apollon. Rh. I, 1231. πρὸς γὰρ οἱ διχόμηνις ἀπ' αἰθέρος αὐγάζουσα βάλλε σελήνη.

v. 6. Vulgari modo oratio ita procederet: Venus choreas agit, saltat cum Gratiis ac Nymphis; sed extulit eam per duo membra, novoque alterum ornatu instruxit. — *Gratiae decentes* cum delectu. Nam *decor* proprie dicitur de incessu, ad elegantiam composito (nota illa Tibulli: *illam, quicquid agit, quoquo vestigia movit, componit furtim subsequiturque decor.*) concinnoque membrorum motu, in saltatione inprimis conspicuo. IV, 3. 17. et II, 12. 17. *quam nec ferre pedem dedecuit choris*, quibuscum contende Euripidea Electr. 859. Θεὸς εἰς χορὸν

Alterno terram quatiunt pede; dum graves Cyclopum

Vul-

φὸν ἴχνος, πηδήματα κυφίζουσα σὺν ἀγλαΐᾳ. Ceterum de consortio Veneris cum Gratiis primae lineae jam apparent in Homer. Od. σ', 193. — *junctae N.* manibus invicem nexis, ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι, ut Homer l. l. *quatiunt*, pulsant, feriunt *terram*, *pede alterno*, alternatim, e rhythmi lege, nunc molliter nunc gravius impresso. Callim. H. in Del. 306. αἱ δὲ ποδὶ πλήσασυσι χορήτιδες ἀσφαλὲς οὖδας. cf. IV, 1. 27. Sil. It. III, 347. *Nunc pedis alterno percussa verbere terra ad numerum resonas gaudentem plaudere caetras.*

v. 7. Vulcanum operi intentum inter figna veris a poeta memorari, mirationem sane facere possit, nisi cogites, imaginem hanc poetae esse secundariam, ejusque adeo originem ab altera repetendam. Veneris enim choros cogitanti poetae facile succurrebat Vulcani, Veneris mariti, in officina laborantis, idea. Cujusmodi idearum nexus in Horatio saepius deprehendas. Sic I, 12. init. Haemo memorato, poeta statim in Orphei Thracii laudes digreditur. Accedit et alia ratio, magnam veritatis prae se ferens speciem, Horatium nempe in adornando toto hoc loco respexisse aliquem poetam Siculum, qui Veneris choreas sub radicibus Aetnae collocasset. Praeterea, cum Venus Siculis inter deos ἐγχωρίους culta fuerit, et regio circa Aetnam in amoenissimis et olim habita fuerit, et nunc habeatur; haec sane digna fuit, cui poetae Veneris choreas adfiguarent. Forte de iisdem Veneris choreis intelligendus est versus veteris poetae apud Mar. Victorinum A. Gr. L. II, p. 2542. Putsch. *Vocat Aetnae super altum caput acres choreas.* De Aetna certe, Vulcani officina, quin hic cogitari debeat, vix dubitandum videtur. Cujus ejectata noctu flamma cum insignis ad adspectum sit (etiam Plin. III, 8. 14. *mons Aetna nocturnis mirus incendiis.* adde Hamiltoni Camp. Phlegr. tab. eandem Vesuvii nocturnam faciem repraesentantem) praeclare poeta hac imagine ad exornandum hunc locum usus est, ut tanto major sit alterius suavitas ex oppositio. Haec si cogites, non adeo mirum videbitur, Vulcani operam post Veneris choreas hic commemorari, imo, si quid judico, in artificiosissimis hunc locum reponi debere arbitror. Jam expende verborum ornatum. *Vulcanus ardens* potest esse, qui operi insudat, qui, nimio studio inflammatus, opus exercet, qualem fere

Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt solutae. 10

Nunc

fere deprehendit Thetis Homerica Il. σ'. 372. ἰδρώοντα, ἑλισσόμενον περὶ φύσαι, σπευδοντα. Hoc tamen nimis vulgare esset. Possit etiam epitheton ab ignis natura ad Deum, cujus est symbolum, translatum videri; a qua personae cum adtributo confusione vel optimi Scriptores, utriusque longuae, possent notari. Sic recte in Hesiod. Theog. 106. Uranum ἀστερόεντα, in Homer. Il. ξ', 245. Ὠκεανοῦ ῥέεθρα et in Senec. Hippol. 309. *Dianam claram* reprehendas. Eadem notione infra III, 4. 58. *Vulcanum avidum* accipiebat Gesnerus. Ipsum v. *urit* huic opinioni hic suffragari videtur. Enimvero, si hoc admittendum censeas, de tota hujus loci venustate, igne post Venerem et Cyclopum officinas memorato, omnino actum est. Contra vero, si, quae tertia est ratio, *Vulcanum ardentem* flammis relucentem, ab igne rubentem accipias, vis ac vigor suus huic loco redit. Quo sensu Statio Silv. III, 1. 33. *Mulciber* dicitur *flammeus*, et Silv. I, 5. 8. *Sicula incude rubens*. Supra I, 2. 2. Jovis *dextra rubens*, sc. fulmine. Virg. Aen. VII, 142. *nubes lucis radiis et auro ardens*. Stat. Theb. III, 507. aquila dicitur *ardens vector fulminis*. et Val. Fl. I. 346. Jason *ardens humeros rapto vellere*. Eodem sensu Euripid. Hippol. 1279. γᾶ dicitur αἰθομένα, solis radiis collustrata, uti recte Valken. statuit, et Phoeniss. 258. ἀσπίδων νέφος φλέγει, unde *clypeos ardentes* Virgil. Aen. II, 734. — *urit officinas*, facit, ut totae flammis colluceant. Proprie officina lucet igni; jam ea, quae igne collustrantur, poetis uri dicuntur. Plane ita Ovid. Fast. IV, 473. *Antraque Cyclopum positis exusta caminis*. Stat. Silv. I, 5. 33. *neu vilis flamma caminos* sc. Vulcani *ureret*. Item sic dicitur Virg. Aen. III, 279. *incendere aras*. Ovid. Met. III, 691. *accendere aras*, plane ut Aeschyl. Agam. 91. βωμοὶ δώροισι φλέγονται. Suaviter hinc Martialis VII, 27. 6. de igne majori: *flagret et excifo festa culina jugo*. Utrumque adeo, *ardens* et *urit* satis graphice atque docte; licet, obscuritatem quandam ambiguam his ipsis huic loco inferri, negari omnino nequeat. — *officinas Cyclopum* Ἡφαίστοιο καμίνους, Callimach. in fragm. Bentl. n. 129. *graves*, epitheto, a duris ferri subigendi laboribus ad officinam translato.

v. 9. seqq. Jam ad verni temporis

Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit haedo.
Pallida

ris laetitiam, quae per naturam diffusa est, ac suavitatem fruendam hortatur poeta, rationibus ab ipsius vitae brevitate, mortisque adeo necessitate, quae et omnes maneat, quaeque iis omnibus, quae in hac vita nobis jucunda fuerint, certissimum finem imponat, deductis. *Nunc decet* per anni tempus, ipso vere admonente. Suaviter id mox repetitum. *Aut* myrto, *aut* flore, more Horatiano, pro simplici myrto ac flore. v. ad I, 1. 21. — *nitidam caput*, comam, unguentis delibutam, λιπαρὴν ἔθειραν, Callimach. ep. L, 4. seu potius Simonid. LXXVI. (Anal. Br. I, 141.) — *impedire* exquisite pro vincire, coronare. Stat. Silv. IV, 3. 67. *Crinem mollibus impeditus* ulvis. *myrto*, Veneri sacra, et compotationibus inprimis adhibita. v. I, 38. 5. II, 7. 25. adde Eurip. Alc. 762. Electr. 778. *aut flore*, floribus, quos *ferunt terrae solutae*, terra, verni solis calore emollita ac resoluta, adeoque novis, recentibus. *terra solvitur* ut Virgil. Ge. I, 44. *Zephyro putris se gleba resolvit. terra patens* Ovid. Fast. IV, 87. *Ver aperit tunc omnia, densaque cedit frigoris asperitas, foetaque terra patet.* Ceterum ad exprimendam veris hilarius agendi omninoque profusioris laetitiae notionem praeclare colores desumsit poeta a comessationibus, in quibus convivae floribus rediniti discumberent. cf. II, 11. 14-17. IV, 1. 31. adde Anacr. IV, 14. 15. V, 15. VI, 1. XV, 5.

v. 11. 12. Eadem fere, sed paulo augustiori specie, ad ver, omninoque vitam hilarius transigendam, genioque epulis ac compotationibus indulgendum, a sacris quippe, Fauno faciundis, desumta exhortatio. Quam nisi primariam horum vv. notionem constituas, sententiarum nexum cum sequentibus vix invenias. Incidebant Romanorum Faunalia in Id. Febr. (Ovid. Fast. II, 193.) eaque profusiori, uti omnino deorum agrestium sacra, hilaritate celebrabantur. De ejusmodi sacris Tibulli quoque locus intelligendus, I, 10. 51. *Rusticus e lucoque vehit male sobrius ipse uxorem plaustro progeniemque domum*, monente jam Ill. Heynio. — *Nunc decet Fauno immolare agnam* s. *agna* prosaicus scriptor dixisset; sed disjunguntur haec copia poetica *seu poscat a. sive malit h. in lucis*, ubi sacra Diis agrestibus, inprimis nemoralibus, fiebant. v. Tibull. l. l.

— *umbrosis*,

Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti,

 Vitae

—*umbrosis*, quibus cum vere frondes redierunt. — *seu poscat*, nempe sacrificia diis omnino (non tantum ea, quae ex voto fiebant,) tanquam iis debita offerebantur. In his maxime primitiae rerum, quarum curam ac custodiam (uti e. g. Faunus gregis) dii haberent. Apte ad sensum et orationis colorem Antipat. ep. XXVIII. (Anal. Br. II, 13.) εὔκολος Ἑρμείας, ὦ ποιμένες, ἢν τε γάλακτι χαίρων, καὶ δρυΐνῳ σπενδόμενος μέλιτι· ἀλλ' οὐχ Ἡρακλῆς· ἕνα δὲ κτίλον ἢ παχὺν ἄρνα αἰτεῖ, καὶ πάντως ἓν θύος ἐκλέγεται. — *agna* sc. sacrum sibi fieri, sibi immolari. v. Obss.

v. 13. 14. Sententiam de morte, quae ad omnes pertineat, tritam illam ac vulgarem, praeclaro ac vere lyrico ornatu instruxit poeta. *Pallida*, communi rebus inferis epitheto, *Mors* tanquam Δαιμων *pulsat pede* graviter pro adit, intrat, pedem infert, adjuncta ferociae notione. Vulgo intelligunt mortem, fores pulsantem, foribus pede insultantem, indigna Horatio idea; et *pulsare* recte de accessu dicitur. Stat. Achill. I, 10. *neque enim Aoniam nemus advena pulso*, h. accedo, intro; quod patet ex imitatione Auctoris (quem Olympium Nemesianum acute vidit Wernsdorf. in Poett. min. T. I. p. 275. seqq.) Laud. Herc. v. 6. *namque tuam non nupe novus advena turbam ingredior*. Neque quisquam controversiam movisset h. l. si pro doctiori, Mors pulsat *tabernas*, vulgarius M. p. *limina tabernarum* posuisset Horatius. Simili notione Senectus θνατων δωματα και πολεις ελθειν dicitur Euripid. Herc. fur. 651. cf. Tibull. III, 5. 16. — *aequo* pede — regumque turres, pro vulgari: intrat *aeque* tabernas pauperum *ac* regum turres, nullo habito discrimine. Sic II, 18. 32. *aequa tellus pauperi recluditur, regumque pueris*, h. *aeque* pauperi *ac* reg. pueris. *Tabernae* h. l. tuguria, casae humiles pauperum, quibus opponuntur *turres*, aedificia altiora ac magnificentiora (v. Verheyk. ad Antonin. Lib. c. XIV.) *regum*, divitum ac nobilium, ut saepe. Est adeo: Omnes, tam divites, quam pauperes, morti sunt obnoxii. Eandem sententiam, eadem distributione expositam, vide II, 3. extr. 14. 11. et 18. 32.

v. 14. 15. Fruere adeo, o Sexti, vitae deliciis, iisque bonis, quae fortuna tibi largita est (en totum hoc unico *beate* inclusum!) neque

crastino

Vitae ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulaeque Manes,
Et

craſtino fide. Vitae enim brevitas ſpes tuas in anguſtum contrahere jubet. Prius comma tanquam poeta omiſit. *Summa brevis*, brevitas *vitae*, paucorum dierum numerus. *Anguſtae vitae breviſſimam portionem* eodem modo vocat Juven. IX, 127. et Senec. ep. XLIX. Infra IV, 7. 17. *quis ſcit, an adjiciant hodiernae craſtina ſummae tempora dii ſuperi?* — *vetat inchoare*, inſtituere, concipere, alere *ſpem longam*, in longinquum porrectam, i. e. ſpem vitae longae, rerumque adhuc moliendarum atque perficiendarum. — *Inchoare*. Egregie hic depingit humanae naturae indolem ac levitatem, quae novas quotidie ſpes vitae ſumit, multaque, quae aliquando ad exitum perducat, ſibi proponit. Praeclare in hanc rem Seneca, Noſtri locum forte in animo habens, Ep. XIII. extr. *Inter cetera mala, hoc quoque ſtultitia habet proprium, ſemper incipit vivere. Conſidera, quid vox iſta ſignificet; et intelliges, quam foeda ſit hominum levitas, quotidie nova vitae fundamenta ponentium, novas ſpes etiam in exitu inchoantium.* Idem ep. XXIII. in fin. refert hoc Epicuri dogma: *Moleſtum eſt, ſemper vitam inchoare, aut, ſi hoc modo magis ſenſus poteſt exprimi: male vivunt, qui ſemper vivere incipiunt.* Denique ep. CI. init. *quam ſtultum eſt aetatem diſponere? ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt, ſpes longas inchoantium!* — *Spem longam* eodem ſenſu et graeci poetae adhibuerunt. Plato c. XXII. (Anal. Br. I. 173.) σοὶ δὲ — δαίμονες εὐρείας ἐλπίδας ἐξέχεαν. Macedonius ep. XXXIX. 4. (Anal. Br. III. 122.) βροτὸς δ' εὖ οἶδα καὶ αὐτὸς θνητὸς ἐών· δολιχαῖς δ' ἐλπίσι παιζόμενος. Sic Ἀΐδας μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας occurrit in fragm. apud Diod. XVI, 92. Ad ſententiam totius loci cf. I, 11. 7.

v. 16. *Jam te*, vel in aetatis adhuc vigore conſtitutum, niſi potius: brevi iſta dierum ſummula praeterlapſa. — *nox* infera, nam caligo propria rebus inferis; *premet* exquiſite de nocte, ſ. caligine, quae *incubat* (Virgil. Aen. I, 89.) *urget* (Noſter I, 22. 10.) adeoque *premit*. Val. Flacc. I, 617. *piceoque premit nox omnia ponto*. Noſtrum forte reſpexit Ovid. Heroid. X, 112. *Crudeles ſomni, quid me tenuiſtis inertem*, at ſemel (ſ. *aut ſimul*) *aeterna nocte premenda fui*. *Premet* adeo, circumdabit te

Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,

 Nec

te nox, h. versaberis in *regione*, ut Seneca ep. 82. ait, *perpetua nocte oppressa*. Virgil. Aen. VI, 828. *Concordes animae nunc, et dum nocte premuntur*. Nam illam imaginem, qua oculi nocte s. in aeternam noctem claudi dicuntur, huc pertinere non puto. Quod si hanc generaliorem του *premere*, qua sit *circumdare, cingere, ambire*, notionem hic constituas, recte etiam seq. accommodari poterit; neque adeo opus erit zeugmatis figura, qua alias, quae *manibus* et *domui Plutoniae* magis conveniant, verbo illi notiones subsitituas. — *Et manes* te prement, umbrae te circumdabunt, eris inter umbras, ipse umbra. Manes dicuntur *fabulae*, tot fabulis famosi, de quibus, omninoque de rebus inferis tam miras narrationes, μύθους, priscorum hominum confinxit opinio, et poetarum inprimis exornavere ingenia, τὰ μυθώδη, ut Lucianus in Necyom. §. 14. de rebus inferis ait. Idem in Dial. Mort. XX. κόνις πάντα ἡμᾶ λῆρος πολὺς (fere ut Pers. V, 152. *cinis et manes et fabula fies.*) Euripid. Hippol. 197. eadem de re: μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα. Apposite quoque Callimach. ep. XIV, 3. ὦ Χαρίδα, τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος· αἱ δ' ἀνοδοι τί; ψεῦδος· ὁ δὲ Πλούτων; μῦθος· ἀπωλόμεθα. Seneca Ep. 82. *multa de illa credimus, multorum ingeniis certatum est, ad augendam ejus infamiam. Descriptus est carcer infernus* etc. adde Martial. X, 5. 17. Senec. Troad. 405. seqq. Antholog. lat. Burm. T. II. p. 472. ep. 219. v. 10. et Lucilii Jun. Aetnam v. 75. seqq. ibique Wernsd. (Poett. min. T. IV. P. I. p. 103.) Sic *tragicae Erinnyes* Propert. II, 16. 29. non sunt, quas Tragici finxerunt, sed quae ab iis saepius ad partes vocatae, et in scenam productae sunt. Sic Juvenali XII, 23. *tempestas* dicitur *poetica*, qualem fere poetae describunt, re nimirum in majus aucta.

v. 17. *Et domus Plutonia*, regnum Plutonis, δῶμ' Ἀΐδαο, ut saepe de locis inferis poetae. v. Santenium V. Cl. ad Propert. IV, 11. 8. — *exilis*, in qua umbrae exiles, tenues (Virgil. Ge. IV, 472. *Umbrae ibant tenues.* et Aen. VI. 293. *tenues sine corpore vitas.*) et leves *(levem umbrarum turbam* habes I, 10. 18. Ovid. Met. X, 14. *leves populos, simulacraque functa sepulcris.* Valer. Flacc. I, 783. *neque enim ante leves niger accipit umbras portitor.*) versantur, νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα Homer. Od. κ'. 251. Lucian. Dial. Mort. XX, 2. νέκυες ἀμκυροὶ Sappho c. XI. infra laudando. Bentl. *domum exilem* interpretatur inopem,

Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
Nunc

pem, egenam, ubi nihil reperies, quo bene sit, laudato in hanc rem Horat. Ep. I, 6. 45. *Exilis domus est, ubi non et multa superfunt.* — *quo simul mearis*, quo ubi descenderis, perveneris, noto phantasmate. Alcaeus c. XIX, 8. (Anal. Br. I, 491.) εὖτε σιδηρείην οἶμον ἔβης Ἀΐδεω. Leonid. Tarent. c. LXIII. (Anal. Br. I, 236.) et Catull. III, 11. *iter tenebricosum.* v. ibi Doering. V. Cl. et Burman. ad Prop. II, 20. 74.

v. 18. Omnibus iis, quae hic vitam beatam atque jucundam efficiunt, carebis. Ex his commemorat compotationes atque amores. Non *sortiere*, sorte tibi obvenient, nimirum *talis*, talorum jactu, *regna* s. magisterium, arbitrium, *vini*, compotationis, h. e. non moderaberis ibi tanquam rex s. magister bibendi convivia, non ibi convivia celebrabis. Respicit poeta solennem Romanorum morem, in conviviis sibi regem, qui bibendi leges ediceret, talorum jacta eligentium. Plaut. Stich. V, 4. 20. *strategum te facio huic convivio.* v. Lips. ad Ej. Pers. V, 1. 18. cf. II, 7. 25. Nonnulli, Luisinum (Parerg. III, 38.) secuti, jungunt *vini talis*, τοίου, tam boni, tam generosi, quasi inter pocula res agatur. Enimvero, quod Bentl. jam monuit, *regnum vini* recte quidem dicitur, non item *regnum vini talis*, et acumen omnino languet.

v. 19. Neque ejus, quem nunc amas, tibi tum copia erit, amore Lycidae amplius frui non licebit. — *non mirabere*, amabis, habebis ibi *Lycidan tenerum*, ἁπαλόν, pulchrum, delicias nunc tuas. Nomen hoc quin ab Horatio fictum sit, et ipsa res clamat, et ipsum hoc, tanquam amasii nomen, occurrit in Bione IV, 10. ἦν δ' αὖτ' ἐς τὸν Ἔρωτα καὶ ἐς Λυκίδαν τι μελίσδω. *Mirari*, ut θαυμάζειν, eleganter de amore, ex admirabilis formae adspectu orto. Sic V, 3. 10. *praeter omnes candidum Medea mirata est ducem.* cf. IV, 9. 15. Potest et simpliciter hic esse: non ibi Lycidae pulchritudinem miraberis, πάντα γὰρ ἴσα καὶ ὁμόχροα, καὶ οὐδὲν οὔτε καλὸν, οὔτε κάλλιον, quod Lucian. in Catapl. §. 22. de umbris refert. Idem suaviter in Dial. Mort. I. §. 3. παρ' ἡμῖν (apud Inferos) οὔτε ἡ ξανθὴ κόμη, οὔτε τὼ χαροπὰ, ἢ μέλανα ὄμματα, ἢ ἐρύθημα ἐπὶ τοῦ προσώπου ἔτι ἐστίν. Prior tamen ratio reliquis magis consentanea videtur. — *quo calet juv.* qui nunc, puer, juvenum animos amore

Nunc omnis, et mox virgines tepebunt. 20

amore incendit, et mox, adultior factus, puellas non leviter commovebit. Ad declarandam eximiam Lycidae pulchritudinem addita haec puta a poeta. *Calere* et *tepere* de amore, ut ἐνθάλπεσθαι ἔρωτι, καίεσθαι ὑπ' ἔρωτος et sim. in vulgus notum; quamquam *tepere* alias de amore frigescente, ut Ovid. Amor. II, 2, 53. v. Wernsd. Poett. min. T. II, p. 177. Ceterum ad sententiam horum vv. comparasse juvabit Asclepiadae c. XXI. (Anal. Br. I, p. 215.) φείδῃ παρθενίης· καὶ τί πλέον; οὐ γὰρ ἐς Ἀιδην ἐλθοῦσ' εὑρήσεις τὸν φιλέοντα, κόρη. ἐν ζωοῖσι τὰ τερπνὰ τὰ Κύπριδος· ἐν δ' Ἀχέροντι ὀστέα καὶ σποδιή, παρθένε, κειόμεθα. Strato c. XCVI. (Anal. Br. T. II, p. 381.) Καὶ πίνε νῦν, καὶ ἔρα, Δαμόκρατες, οὐ γὰρ ἐς αἰεὶ πιόμεθ', οὐδ' αἰεὶ παισὶ συνεσσόμεθα. καὶ στεφάνοις κεφαλὰς πυκασώμεθα, καὶ μυρίσωμεν αὐτούς, πρὶν τύμβοις ταῦτα φέρειν ἑτέρους. Idem sententiarum nexus in elegia, quae in Theognideis v. 951. (Gnom. Br. p. 39.) habetur: οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν ἐπεί ποτε γαῖα καλύψει, ἂς τ' ἔρεβος καταβῇ, δῶμά τε Περσεφόνης, τέρπεται, οὔτε λύρης, οὔτ' αὐλητῆρος ἀκούων, οὔτε Διωνύσου δῶρ' ἐσαειράμενος. Ταῦτ' ἐσορῶν κραδίῃ εὖ πίσσομαι, ὄφρα τ' ἐλαφρὰ γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρομέως προφέρω. Laudant et Sapphus c. XI. (Anal. Br. I, 57.) ita numeris suis restituendum:

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαί ποτε, καὶ μναμοσύνα σέθεν
Ἔισσετ' οὐδέποτ· αὖ ὔστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων
Τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ' ἀφανὴς κἦν Ἀΐδα δόμοις
Φοιτάσεις . . , . . οὐδέ σε
Βλέψει πατὴς ποτ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμένων.

Observationes.

De metro noſtri carminis, cum unicum eius exemplum in Horatio ſit, in eoque conſtituendo antiquiores cum ipſis Grammaticis, et recentiores admodum turbent interpretes, ut paulo accuratius diſpiciamus, operae ſane pretium facere videmur. In compoſitis, adeoque artificioſis quin illud reponendum ſit metris, dubitari omnino nequit. Nam quod Grammaticorum nonnulli de hoc ipſo dubitationem injecerint, prioremque verſum Hexametro heroo, quem περιττοσυλλαβῆ, h. e. in quo una ſyllaba redundet, vocant, atque hoc:

Solvitur acris hiems grata vice veris et oni

vel hoc:

Solvitur acris hiems grata vice vere Favoni

vel alio modo ad leges ſuas revocando, adnumerandum cenſuerint, nae illi hoc ipſo ſatis manifeſtam, puto, metrorum, quae traderent, prodiderunt inſcitiam, aut certe, ſi paulo humanius cum iis agere velis, parum accurate et ex artis ſuae regulis rem eos eloquutos eſſe dixeris. Prius igitur comma conſtat tetrametro heroo arctico ſ. bucolico, in quo adeo variat ſpondeus cum dactylo, niſi quod hic ſolummodo, isque purus in quarta tome ſedem ſibi vindicet. E quo genere ſupereſt fragmentum Alcmanis apud Hephaeſt. p. 22.

Μῶσ' ἄγε Καλλιόπα, Διὸς
Ἀρχ' ἐρατῶν ἐπέων, ἐπὶ δ' ἵμερον
Ὑμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.

Alcmanium inde dictum a Grammaticis e. g. Serv. de C metris p. 1820. ed. Putſch. Mar. Victorin. p. 2565. Nobilitavit hoc Archilochus, διὰ τὸ προτάξαι αὐτὸ τοῦ τροχαϊκοῦ, καλουμένου Ἰθυφαλλικοῦ, ſecundum eundem Hephaeſt. 1) l. c. laudato ejusdem verſu:

Οὐκεθ'

1) Idem p. 19. ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ Φαλλικὸν, ᾧ πρῶτος Ἀρχίλοχος ἐπίσημον καὶ τὸ δίμετρον βραχυκατάληκτον, τὸ καλούμενον Ἰθυφαλλικόν· μὲν ἐχρήσατο, συζεύξας αὐτὸ δακτυλικῷ τετραμέτρῳ.

Οὐκέθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα, 2) κάρφεται γὰρ ἤδη.

eoque rectum 3) suavissimae modulationis judicium prodidit. Ideoque certatim hoc metrum amplexi sunt ceteri poetae graeci, auctore eodem Hephaestione p. 50. quod etiamnum reperitur in Simonidis c. XCI. (Anal. Brunk. T. I, p. 143. adde Incerti fr. in Grotii florileg. Stob. p. 117.) Callimachi epigr. XLII. et L. et in ejusdem fragmentis, a Bentlejo collectis, CXCI. et Theocriti ep. 18 et 19. Quae poetarum loca satis demonstrant, veteres in metri hujus cum ithyphallico compositi quarta tome semper 4) puro usos fuisse dactylo; quo

 sane

2) exquisitior forte erit lectio in altera verbi persona: κάρφεαι.

3) Vere de Archilocho Marius Victorinus l. IV. Art. Gram. p. 2590. ed. Putsch. *Adeo foecundus varietate carminum, et singularis artificii in excogitandis novis metris hic auctor est, ut et ceteris vatibus imitationis suae in componendis metris observantiam parem studiosa aemulatione praestiterit. Nam plerique sequentis aevi his informati metrorum figurationibus et quibusdam viis, auctore Archilocho, varias numerorum species et ipsi commenti posteris tradiderunt, unde innumerabilis, incomprehensibilisque venit in manus copia.* Adde eundem p. 2566.

4) Dum haec scripseram, incidi in locum Hephaestionis p. 50. unde plane contrarium eruere possis. Verba ejus sunt: γίνεται δὲ ὁ τελευταῖος τῆς τετραποδίας, διὰ τὴν ἐπὶ τέλους ἀδιάφορον καὶ κητικός· οἷος ἐστιν οὗτος·

Καὶ βήσσας ὀρέων δυσπαίπυλλους,
οἷος ἦν ἐφ' ἥβης.

Igitur dicendum est, licentiam istam e metro isto simplici, quod erat τετράμετρον δακτυλικόν, cujus ultimus adeo dactylus in amphimacrum s. creticum recte abire poterat, in hoc, cum ithyphallico compositum, a quibusdam illatam esse. Aliter eandem hanc tetrapodiam, cum phalaecio mixtam, variavit Cratinus ἐν Σεριφίοις (apud Hephaest. l. l.) spondeum quarta sede ponens, hoc modo:

Χαίρετε πάντες θεοὶ πολύβωτον
ποντίαν Σέριφον.

ubi fallitur Pauw, βωτον pro trochaeo habens, cum ultima, quae quidem natura sua brevis est syllaba,

sane non opus fuisset, quippe in versus exitu, ubi et amphimacer recte locum habere potuisset; παντὸς quippe μέτρου ἀδιάφορός ἐστιν ἡ τελευταία συλλαβή, ὥστε δύνασθαι εἶναι αὐτὴν καὶ βραχεῖαν καὶ μακράν, juxta Hephaest. p. 14. quod satis in vulgus notum est. Cum praeterea Horatius diligenter caverit, ne dactylus extremae regionis in consonantem desineret ante consonantem, aut in vocalem ante vocalem; satis patere arbitror, parum scite hic versatum esse Cruquium, qui hoc metrum e suo Blandiniano codice fecerit tricolon tristrophon, hoc modo:

Solvitur acris hiems grata vice
Veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas.

Neque vero hoc ita accipiendum est, ut credamus, Cruquium plane ita dispositos reperisse versus in codice Blandiniano, cum ipse *se ex illo non sine magna molestia oden ita restituisse* profiteatur. Igitur haud dubie in isto codice versus prior, ob 5) longitudinem a librario variis locis, uti ferebant verba et chartae spatium, incisus, virum doctum in hunc errorem induxit. Cruquii auctoritatem secutum Jani, virum doctissimum, omnino mireris, quem ipsum satis docte atque accurate in libro, quem de Arte poetica conscripsit, de metris praecepisse constet. Reduxi

ba, ipsa collocatione producatur. Sed ab his omnibus cum Horatius, Archilochi exemplum secutus, sedulo sibi caverit, vix quicquam inde ad vulgarem metri rationem evertendam recte cogas.

5) Eadem de causa in Palladii Allegoria Orphei, quod carmen in Catalectis Virgilii ed. Venet. a. 1480. habetur, versus longior ejusdem metri, aequis fere partibus divulsus, ita legitur:

Threicius quondam vates
Fide creditur canora
Movisse sensus acrium ferarum.

offerente sic haud dubie codice aliquo, cujus paulo arctius esset spatium.

duxi igitur vulgarem carminis formam, Archilochi aliorumque poetarum graecorum exemplis, ductisque inde Grammaticorum praeceptis, librisque Horatii omnibus firmatam, atque ipso denique aurium judicio unice comprobatam.

De metro alterius versus, qui est epodus, pariter dubitatum est a Grammaticis, (v. Terentianum M. p. 2448. ed. Putsch.) utrum in mixtis, an in simplicibus reponendum sit, aliis (e. g. Mar. Victorin. p. 2565.) illud pro trimetro jambico catalectico, quod Archilochus inprimis frequentavit, habentibus, aliis (ut Diomedes L. III, p. 518. ed. Putsch.) versum ex penthemimere jambica et tribus trochaeis constare contendentibus. Priorem sententiam amplexus est Hephaestion p. 12. laudato versu:

Χαίροι | σα νύμ | φα χαι | ρέτω δ' | ὁ γαμ | βρός.

jambo κολοβῷ s. curto in extrema regione posito. Idem p. 16. laudat hunc versum Archilochi:

Ὄγμος κακοῦ δὲ γήραος καθαιρεῖ.

Quae quidem ratio, quin verior sit, dubitare non finit carmen Simonideum XCI. (in Anal. Brunk. T. I, p. 143.)

Μνήσομαι, οὐ γὰρ ἔοικεν ἀνώνυμον ἐνθάδ' Ἀρχεναύτεω
Κεῖσθαι θανοῦσαν ἀγλαὰν ἄκοιτιν
Ξανθίππην Περικύνδρου ἀπέκγονον, ὃς ποθ' ὑψιπύργου
Σήμαινε λαοῖς ἔρμ' ἔχων Κορίνθου.

ubi v. 2. si e metro composito eum constare dicas, hoc modo:

Κεῖσθαι | θανοῦ | σαν | ἀγλα | ὰν ἄ | κοιτιν.

parum firme incederet, syllaba penthemimere brevi relicta. Adde carmen, quod inter minora Theocriti n. 18. habetur, in Archilochum, eodem, quod isti poetae maxime frequentaretur, metro compositum v. 4—6.

Ἦ ῥά-

Ἦ ῥά μιν αἱ Μοῖσαι καὶ ὁ Δάλιος ἠγάπευν Ἀπόλλων,
Ὡς ἐμμελής τ' ἔγεντο κἀπιδέξιος
Ἔπεά τε ποιεῖν, πρὸς λύραν τ' ἀείδειν.

ſuaviſſimo metrorum συστηματι. Habes enim hic priorem verſum heroum ithyphallicum, reliquos duos jambicos, alterum acatalecticum, alterum, ut in Horatio, 6) catalecticum. Quamquam poſteriorem Horatii verſum, recepta altera dimenſione, metro, quod claudit priorem verſum, phalaecio optime 7) ſuccinere, negari omnino nequit. Ideoque omnes fere Grammaticos ab hac parte ſtare videas. Sed praeſtat auctoritas Archilochi, qui, ut diſerte teſtatur Marius Victorinus L. III. p. 2565. eundem trimetrum jambicum catalectum epodum eidem verſui tetrametro heroo cum metro ithyphallico ſubjecerit, cujusque exemplum Horatius hac ode ſecutus ſit.

Paulo fuſius de hujus carminis metro agendum exiſtimavi, quum hanc critices partem, ab Horatii Intpp. hucusque fere neglectam, paulo curatius cenſerem tractandam, ut inde et alii cum de metri ratione, ejusque artificio, quod in hoc carmine ſummum eſt, tum de aliorum emendationibus (cujus rei ſtatim v. 2. luculentum ſuppeditabit exemplum) recte ſtatuere poſſint. Ceterum e Latinis, qui hoc metro uſi ſunt, poetis, unicum ſupereſt carmen Palladii, *Allegoria Orphei* dictum, quod Anthologiae ſuae inſeruit Burmannus T. I, p. 99.

v. 2. *Tra-*

6) Ad hanc rationem exigendum quoque c. XVII. Theocriti v. 3. qui forte ſic legendus:

Ἐξεῖ χάριν τάνθ' ἁ γυν' ἀντὶ τήνων

etſi de prioris verſus correctione mihi nondum liquet.

7) Sic in Callimachi ep. XLII.

Ἱερέη Δήμητρος ἐγώ ποτε καὶ πάλιν Καβείρων
Ὦνερ, καὶ μετέπειτα Δινδυμήνης.

uterque verſus in fine metrum habet phalaecium.

v. 2. *Trahuntque siccas machinae carinas*) Metri, poeticaeque dictionis ignorantia plures in hoc versu VV. DD. errores peperit. Jani, et qui hunc sequitur, Bauerus (Obss. Horat. Spec. IV.) de trochaeo, quo hic versus incipiat, loquuntur; quo quid sibi velint, non extrico. Etsi quidem Interpretes cum Grammaticis de metro hujus versus, uti paulo ante vidimus, diversa statuant; in hoc tamen consentiunt, initium versus jambis constare. Iam cum graecorum et romanorum poetarum usu, ductisque inde Grammaticorum praeceptis satis explorata res sit, versum jambicum in disparibus locis, quos περιττους χωρας Graeci vocant, nempe in primo, tertio, et quinto recipere spondeum, dactylum, anapaestum; in paribus autem, quos αρτιους vocant, eos, qui primam syllabam brevem habent, adeoque jambum tribrachyn (regum | quĕ pŭĕ | ris II, 18. 34.) anapaestum; mirum sane videri debet, initium hujus versus, qui solus jambum habeat, cum ceteros spondeus ordiatur, in corruptelae suspicionem ideo vocari potuisse. Fefellit porro viros doctos poeticae locutionis indoles, qua machinae naves in mare trahere dicuntur, id quod pulsu potius, ut ait Scalig. Poet. VI. 7. p. 339. efficiatur. Hinc dudum correctum fuit: *ducuntque*, quod cum aliis habet Ascens. a. 1519. At Mureti ed. a. 1610. *traduntque*, a quo manifesto operarum errore induci se passus est Bauerus, ut legendum proponeret: *truduntque*, quod quam pedestre sit, facile apparet. Eodem vitio laborat Waddelii, infimi subsellii Critici, emendatio: (Animadv. Crit. p. 41.) *torquentque*. Sed his omnibus satis jam, puto, obviam itum est in notis, ubi ostendimus sollennem usum του *trahere* hac de re. Neque vero quidquam tribuerim loco, quem Jani e Mar. Victorino de re Gramm. II. p. 2574. Putsch. tanquam veteris poetae:

Trahuntque magnis navitae clamoribus carinas.

laudat, cum ex hoc ipso v. 2. hujus carminis a Mar. Victorino, cum versum tetrametrum jambicum Comicum exemplo docere vellet,

vellet, confictus sit. Id quod a Grammaticis innumeris locis factum est. Sic e variato hoc Horatii versu ad docendum metrum phalaecium Sapphicum apud Terentianum Maur. p. 2448.

Siccas ducite navitae carinas.

parum scite colligas, in Horatio olim lectum fuisse:

Ducuntque siccas *navitae* carinas.

v. 4. *nec prata canis albicant pruinis)* *Canis albicat ora pruinis* laudat Lutatius ad Stat. Theb. I, 512. memoriae lapsu.

v. 5. *Iam Cytherea choros ducit Venus)* Bentlejus, cum neque e graecis poetis quemquam, qui Κυθέρειαν Ἀφροδίτην, neque e latinis, qui Cytheream Venerem dixisset, in aliis contra Horatii locis *Cytheream* simpliciter dictam invenisset; defendi saltem otiosum illud v. *Venus* Virgilii loco Aen. III, 251.

Quae Phoebo pater omnipotens, mihi *Phoebus Apollo*
Praedixit.

quod ad Homeri, Φοῖβον Ἀπόλλωνα toties inculcantis, exemplum sit compositum, arbitrabatur. In quo tamen non acquiescens Cuningamius, et v. *Venus* e glossa irrepsisse suspicans, rescribendum opinabatur:

Iam Cytherea choros ducit *levis*.

apto quidem rei vocabulo. Sic I, 1. 31. habes *Nympharum* leves *choros*. Quo tamen omnino opus non videtur, cum eadem sit ratio in similibus poetarum loquendi formis, veluti, quod Bentl. jam monuit, in Homeri Φοῖβος Ἀπόλλων, et inde Virgilii *Phoebus Apollo*. Adde ejusd. Aen. II, 615. *Tritonia Pallas*, quem locum huic ipsi Horatii loco admovit jam Schra-

Schraderi ad Muſ. Animadv. c. V, p. 159. diligentia. Quid? quod apud Homerum, cujus ipſius auctoritatem deſiderabat Bentlejus, duobus locis occurrit Κύπρις Ἀφροδίτη. Hymn. III. in Ven. 1.

Μοῦσα μοι ἔννεπε ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης
Κύπριδος.

et H. IX. v. 1.

Κυπρογενῆ Κυθέρειαν ἀείσομαι.

quae loca Ruhnkenio (Ep. Crit. I, p. 51. ed. 2.) hunc Noſtri locum, ad graeca iſta exempla formatum, in memoriam revocabant. Homeri locis adde Muſaeum v. 38.

Ἀλλ' αἰεὶ Κυθέρειαν ἱλασκομένη Ἀφροδίτην.

v. 8. *Vulcanus ardens urit officinas) non urit caminos; deficerent enim. at non deficiunt. Melius:* urget officinas, *quippe magiſtri eſt, operas urgere.* Haec Scaliger Poet. VI, 7. cujus animadverſionem, quam veram atque acutam appellat Bentlejus, hic loci intactam dimiſiſſe interpretes, aegre fert idem vir doctus. Eam equidem hoc ſaltem nomine probandam duxerim, quod Scaliger in iſta legem, in emendandis veterum ſcriptorum locis ſibi dictam, qua obſoleta atque reconditiora pro vulgatioribus, atque perſpicuis loquendi formis ſcriptori obtrudit, paulo migrarit, et doctiori hic vulgarius ſubſtituerit. Sane ipſa imago Vulcani, operas urgentis, per ſe non incommoda eſt h. l. et poetis ſatis frequentata eſt. Homer. Il. σ'. 372.

Τὸν δ' εὗρ' ἱδρώοντα ἑλισσόμενον περὶ φύσας
Σπεύδοντ'.

Callimach. Hymn. in Dian. 49. Cyclopas inducit

ἐπ' ἄκμοσιν Ἡφαίστοιο
Ἑσταότας περὶ μύδρον· ἐπείγετο γὰρ μέγα ἔργον.

Adde Virgil. Aen. VIII. 439. et Lucil. Iun. Aetn. 31.

tumidi-

tumidis e faucibus ignem
Vulcani ruere, et clauſſis reſonare cavernis
Feſtinantis opus.

Scaligeranam hanc emendationem praeter Bentlejum probabat quoque Cuningamius, ita tamen, ut ſimul legendum proponeret, *quaſſat* vel *vexat*, minus probabiliter. Cum tamen Codd. aliquot Lambini, Colbert. et Bodlej. offerrent *viſit*, Bentl. Scaligeri lectionem, cupide prius arreptam, ſtatim e manibus dimiſit, hocque ſolum amplexus eſt, motus inprimis Apollonii loco III, 40.

Ὣ ἐντύνεσκε θεὰ λέχος Ἡφαίστοιο
Ἀλλ' ὁ μὲν εἰς χαλκεῶνα κιὼ ἄκμονας ἧεε βεβήκει
Νήσοιο πλαγκτῆς εὑρὺν μυχόν.

quem ipſum locum ad ſtabiliendam hanc, quam et Cod. Pinaker. offerret, lectionem adduxerat jam Rutgerſ. Lectt. Venuſ. p. 239. Enimvero, cum rerum ſcena, quam deſcribit poeta, noctu agatur, in Apollonii autem loco Vulcanus mane in officinam prodeat; parum omnino inde praeſidii arceſſas. Accedit, quod, admiſſo τῷ *viſit*, Vulcani epitheton *ardens* locum ſatis languidum reddat. Eſſet enim ſimpliciter: ferri cudendi ſtudio gradum adcelerans. Quanto vero doctius, quanto vividius, quod in plurimis Codd. et edd. legitur, *urit*, prae reliquis Criticorum commentis! Nae is ſenſu poetico ſe deſtitutum queratur, qui non ſtatim hoc ſolum ab Horatii manu profectum ſentiat. Nec agnoſco magnum illum Bentlejum, cujus acumen et ingenii ſollertiam in paucis miror, ipſo indignas hic captantem argutias, nempe ſic totam tabernam, et omne operis inſtrumentum comburi, hocque de Vulcano, tabernae domino, ſuſpicari admodum feſtivum eſſe, ſatis feſtive adjicientem. Sed *officinam uri*, h. e. flammis usquequaque, ipſo opere Cyclopum fervente, impleri, recte dici, e loquendi uſu poetico, abunde in notis demonſtravimus. Et ipſe ſenſus atque oculorum aſpectus graphicum hoc verbum *poetae* ſuggeſ-

ſiſſe

fisse videtur. Quo eodem sensu contactum videas magnum Toupium Ep. Crit. p. 139. quem omnino pluribus super his differentem velim adeas. Neque insacete aut ταυτολόγως, quod utrumque Bentl. videbatur, poetam duo ista *ardens urit* junxisse ex interpretatione nostra apparet.

v. 12. Seu poscat agna, sive malit hoedo.) Alii Codd. eodem fere numero, ita legunt:

Seu poscat agnam sive malit hoedum.

Inter utramque lectionem fluctuant Cod. Gotting.

Seu poscat agnam, sive malit hoedo.

et Alt. I.

Seu poscat agna, sive malit hoedos.

exhibentes. Codicum igitur cum par fere sit ratio, videamus, quaenam majorem prae se ferat veritatis speciem lectio. Ac altera quidem, quae sextum casum habet, haud dubie est doctior et exquisitior, quae et plurimorum virorum doctorum assensum tulit. Virgil. Ecl. III, 77. *cum faciam vitula*, Bentl. jam attulit. Adde Tibull. IV, 6. 14. *ter tibi sit libo ter, dea casta, mero.* ubi v. Ill. Heyn. Vulgari tamen formae patrocinari videtur epigr. Leonidae, in notis jam excitatum.

v. 13. Novam hinc oden orditur Sivr. eique titulum inscribit: *ad Convivam.* Contendit enim more suo, *Sestium* non esse nomen proprium, sed factum e graeco ἕστιος quod *convivam*, et εὐέστιος, quod *beatum convivam* significare ait.

v. 16. *Iam te premet nox, fabulaeque manes*) *Iam te premet mors* Pulmanni duo, ex interpretamento, *fabulaeque et manes*, recentiores quidam Codd. metri damno, quod, servata hac lectione, Ascensius ed. a. 1503. ita restituit: *fabulaeque manesque*, quod impense arridebat Cuningamio, Persii inprimis imitatione, V, 152. *cinis* et *manes* et *fabula fies*, ut hanc rationem sequeretur, inducto. Math. Bonfinis emendationem, *fabulaeque inanes* ab Ascens. in ed. a. 1519. expressam, et inde

per alias propagatam jure Muretus tanquam inanem explosit. Denique Bentl. dubitat, de quo in poeta dubitandum non erat, utrum *fabulae* in primo, an in secundo casu, quod Scholii auctor in Graev. Cod. voluerit, accipiendum sit, et scholio suffragari autumabat Prudent. c. Symmach. I, 190. quod vix puto.

v. 17. *Et domus exilis Plutonia*) Barth. Adversf. XXX, 13. et Stat. Theb. I, 56. primum se animadvertisse ait, in Horatio legendum: *et domus exilii Plutonia*, tam praeclarae scilicet conjecturae laudem alios sibi vindicaturos persuasus. Ita tamen et Heinsf. inductus maxime II, 3. 18.

et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae.

Sed vulgata recte habet. Vide not. Neque audiendi Io. Gerh. Voss. et Graev. Lectt. Hesiod. c. IV, qui, rejecta Barthii conjectura, *domum exilem* de sepulcro (quo sensu Tibull. III, 2. 22. adhibuit, ubi vide Broukh.) capiebant, id quod vel appositа, *manes, domus Plutonia, quo simul mearis*, respuunt.

Χείματος ἀργαλέου κρύος οἴχεται, εἴαρος Φαέντος,
Ὁλκὰς δ' ἀπ' ἀκτῆς ἕλκεται κυλίνδροις.
Πῶϋ δὲ γηθοσύνη λίπεν αὐλιον, ἐσχάραν τ' ἀροτρεὺς,
Λειμῶσι δ' οὐκ ἔτ' ἐρεύγησε πάχνη.
Κοιρανέει Κυθέρεια χοροὺς Κύπρις, ἀθρόοις δὲ Νύμφαι,
Λαμπρὰς ἰούσης ὑψόθι σελήνης,
Καὶ Χάριτες κροτέουσι πέδον ποσίν· αὐτὰρ ἐν μυχοῖσιν
Ἥφαιστος Αἴτνας ἐκφλέγει καμίνους.
Νῦν χλοεροῖς λιπαρὰν πυκασώμεθα μυρσίνης τ' ἔθειραν
Ἢ γῆς βρύουσιν ἀνθέων ἀώτοις.
Νῦν σκιεροῖς ῥέξωμεν ἐν ἀλσέσι Πανὶ τῷ Λυκαίῳ,
Ἢν ἀμνὸν αἰτῇ, δορκάδ' ἢ θελήσῃ.

Μοῖ-

Μοῖραν τὴν ὁλοὴν τις κεν φύγῃ; ἢ δόμοις τυράννων
Ἐπέχρα ἴση καὶ στέγαις πεπήτων.
Ἡ δὲ βροτοῖς ὀλίγη βιότου δόσις· ἦ τάχ' ἀμφὶ νυκτὸς
Βαλεῖ σ' ὁμίχλη, καὶ κλυτοὶ καμόντες,
Εὐρώεις τ' Ἄϊδαο δόμος κάτω· εὖτε τὸν μετέλθῃς,
Οὐκ ἀρχὸς ἄρξαις ἐν χοροῖς Λυαίου,
Οὔθ' ἁπαλὸν Λυκίδαν βλέψαις ἔτι, πᾶσι νῦν μέλημα
Νέοισιν, εἶτα παρθένοις ποθεινόν.

De nova hac, quam Mitschertlichius V. C. adornandam in se recepit, Horatii editione in universum monemus, nos, quae in externo libri habitu nostrarum fere sint partium, diligenter effecturos, utque poetam cultissimum externus ne dedeceat cultus atque ornatus, sedulo cauturos. Ac typorum quidem eadem erit elegantia, qua specimen hoc Horatianum exprimi curavimus; chartae autem justa ratio habebitur. Quo in genere ut et beatiorum elegantiorumque hominum occurramus votis, et eorum, qui propter rem paullo angustiorem internas maxime librorum dotes spectant, necessitatibus prospiciamus, duo editionis Horatianae exempla typis exprimenda curabimus,

alterum charta nitidissima, Helveticam vocant, impressum, figurisque aeri incisis exornatum, quarum argumenta, illustrando ipsi poetae inservientia, HEYNIUS, Vir nostra laude major, pro Suo, literas humaniores omni modo promovendi studio, ex antiquitate eruta, in hunc usum collegit, et nobiscum benevole communicavit;

alterum charta quidem vulgari, at ipsa tamen satis pura atque luculenta expressum, ita, ut salubriori pretio consulturi figuras abesse jubeamus.

Quodsi sint, qui illud, Helvetica charta impressum, figurisque aeri incisis ornatum, expetant, eos rogamus, ut ante diem S. Michaelis hujus anni nomina sua apud me vel apud Cl. Editorem profiteantur, sibique persuadeant, nos pro sumtuum ratione aequissimum quodque huic exemplo pretium esse dicturos. Scr. Lipsiae, mense Aprili MDCCXCII.

S. L. CRUSIUS.
Bibliopola.

Lipsiae,
Impressit Godfridus Dietericus Schulze.

64441

ULB Halle 3
007 668 961

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837193-p0043-7

Q. HORATII FLACCI

BRI PRIMI CARMEN QVARTVM

ADNOTATIONE PERPETVA

ET

OBSERVATIONIBVS CRITICIS

INSTRVCTVM

DENDORVM EIVSDEM OPERVM

SPECIMINIS LOCO

PROPOSVIT

CHRIST. GVIL. MITSCHERLICH

PROFESSOR GOTTINGENSIS.

LIPSIAE, 1792.

VMTIBVS SIEGFRIED LEBRECHT CRVSII.

Lehrerbibliothek
Ver. Dom.-u. Klostergymnasium